

Aqua, cui Cornu Cervi crudum injectum est, in gelatinam conerescens; si igne urgeatur, magnam salis volatilis copiam largitur; Quidni Viscido idem etiam adtribuendum, è fluido maximè heterogeneo cum natales habeat, heterogeneos etiam ut humores spiret, qui, si cum fatore graveolenti nares feriant, sulphuris præsentiam annorant, non aliam ob causam, quam quod particulae activæ, nobis sulphureæ dictæ, ad motum concitatae, sui deflagrationem urgentes, particulas etiam terrestres & aëreas elevent, ad nasum vero delatae, nervos vellicent, sensumque pro diversitate partium heterogenearum afficiant; vid. D. Majoris Dissertat. de Spiritibus; Senguerdus etiam in *Philos. natur.* & Physici alii, Corpusculari addicti Philosophiæ. Denique si præter Sulphur summe subtile, non nisi ignis vi, referatis è carceribus claustris eruendum, fixum etiam aliquod videre desideres, Phosphorum ex Urina paratum humana adspice, in cujus Schemate Viscidum, particulis nonnullis sulphureis quidem, abundans à terrestribus vero subjugatis, cernes.

§. 8.

Ex his itaque recensitis & secundum figuram, magnitudinem & motum explicatis, omnem in genere viscidiorum humorum imunditiam humano in corpore conflare, certò credimus. Neque, quod in statu etiam hominis naturali Saliva, Liqvor gastricus, Succus Pancreaticus, Bilis, Pituita intestinalis, & alii humores Lubrici, mucosi & lenti, (qui è sanguinis Latice seroso secreti vel in manifestam aliquam cavitatem se se effundunt, res irrigant firmiores, viasque pro faciliiori contentorum transitu lubricant; vel sanguini admixti, digestionis & Distributioni Chyli inserviunt;) reperiantur, argumento est, ideo viscidum in Corpore humano non posse peccare? falsa enim est hæc argumentatio. Sanè, non particularum varie figuratarum præsentia solum, sed earundem quoque mixtura & connexio consideranda est; in quem finem audiamus Par Virorum Eru- ditissimorum, è quorum verbis differentiam Viscidi, in utroque statu, tum naturali, tum præternaturali considerati, deprehendere licebit. Primus est sæpius laudatus Hoffmannus, *Dissert. De Insufficiencia Acidi & Viscidi* Sc. cap. 6. Si decens, inquit, est harmonia, & concentus harum particularum mixtura in idem Temperies, ut nullum adsit prædominium, tunc Corpus sa-
num